

Gammelsod

1.  
2.0  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27.  
28.  
29.  
30.



# Præfides

1. Booris De Germania jurisprudentia sua <sup>Domestica</sup> (nunquam destituta)
2. Mascoo - Ingenio judicis.
3. Kestner - lege continui in natura.
4. Müller - fictionibus tam hominis quam juris.
5. Müller - fictionum juris Rom. usu antiquo non usu hodierno
6. Willenberg - votorum pluralitate non concludente.
7. Syncher - jure secundi.
8. Schwendendorfer - privilegiis virginum.
9. Stearius - patientia juridica.
10. Gruescheuch - Compensationibus.
11. Carper - pactis successorias.
12. Berger - jure personarum.
13. Müller - rationibus in folle.
14. Hedler - jure hominis bicapitis.
15. Hedler - Curatore godinarum.
16. Decher - ad leg. xxxix. frater a fratre de condit. indelicti
17. Fiegler - juribus Judeorum.
18. Frieze - thesauro arte magica invento.
19. Wölcher - privilegiis adiosis et poenalibus.
20. Friesen - juris Sax. prov. compilatione.
21. Friefer - emulatione.
22. Beyer - evittantia minorum jurata.
23. Leip - jure occupandi exubias defunctorum.
24. Kluver - jure canum.
25. Engelbrecht specimen collat. jur. Accortici & comunit.
26. Phetius - jure retentionis
27. Heister - jure retentionis
28. Straker - censuræ per libros censuales probatione.
29. Joepfer - servitute rustica agrorum incultor. cultumque prohib
30. Thomajus - fideiusore indemnitate.

BU W

L 208,



XII  
100

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**PACTIS SUC-  
CESSORIIS.**

*Quam*  
Auspice Christo  
&  
*Approbante in Illustri Electorali ad Albim  
ICtorum Ordine*

P R A E S I D E

V I R O

*Amplissimo, Consultissimo & Clarissimo*

**DN. CONRADO CARPZOVIO,**  
J. U. D. Elector. Sax. Consiliario, Antecessore A-  
cademiæ Witebergensis & Facultatis Juridicæ p. t. Decano spe-  
tatissimo, nec non Curiaë Provincialis, Consistorij Ecclesiastici  
& per inferiorem Lusatiam Judicij Assessore, Præceptore,  
Fautore ac Promotore suo omni honoris, & ob-  
servantiæ cultu ætatem submissè prose-  
quendo.

*Publicæ ac placida disquisitioni subijcit*

**GOTTFRIEDUS Büesser**  
Sora Lusatus.

*In auditorio ICtorum, horis pomeridianis, Die 10. Jan.*

---

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XXXV.

PACTIS SING.

CESSORIS.

Dr. GONRADO CARPZOV

Dr. GONRADO CARPZOV  
J. U. Elector. Sax. Consiliarius, Antecessor A.

GOTTFRIDUS

En Officiis  
Anno M. DC. XXXV.





# IN NOMINE DOMI- NINOSTRI JESU CHRISTI.

## *Proœmium.*

**M**ateria hujus utilitatem mul-  
tis verborum parasangis exornare su-  
pervacaneum planè puto, cum ipsa  
per se satis superq; cuiq; manifesta fa-  
cile appareat, si modò consideret,  
quàm frequenter occurrant successi-  
ones, hominibus quotidie morientibus, & quàm  
multiplicem mutationem ac varietatem, quoad jus  
præsertim hodiernum, hæc pacta successoria patian-  
tur. Quamvis enim duæ tantum de jure civili here-  
ditatem regulari & communi modo deferendi viæ,  
ex testamento & ab intestatò recensentur *in. § fin.*  
*Inst. per quas person. cuiq; arquir.* imò hæc pacta, tanquã  
bonis moribus contraria simpliciter à quibusdam  
improbentur *per l. stipulatio 61 ff. de V. O. l. ex eo 4. C. de*  
*inutil. stipul. l. pactum. 3. C. de collat. l. pactum quod dotali*  
*is. C. de pact. & similes;* Attamen hoc usquequaque  
procedere non posse patet ex *l. licet 19. C. de pact. l. fin.*  
*C. eod. & alijs,* in quibus certo modo valere dicuntur  
pactiones circa successionem, naturâ igitur omni-  
modò turpes non erunt, cum non turpes aliquandò  
esse possint. Accedit præsentium temporum ab an-  
tiquo

tiquo jure in multis casibus discessio, quæ effecit, ut non immeritò, teste Heigio *part. 1. quest. 23. n. 13.* Hotomanus *conf. 1. fol. 124.* scripsisse videatur, tertiam nunc obtinere speciem heredum, qui conventionales dici possint, propterea quod ita nunc moribus invaluerit, ut etiam pactis hereditas detur. Hæc igitur jam nunc paucis, pro ingenij tenuitate considerare, animus est, D E U S annuat, conatuique audaci clementer adsit.

## THESIS I.

Pacta (a) successoria (b) in duo potissimum genera dispescimus (c) vel enim fiunt de hereditate tertij, (d) vel de propria paciscentium. Hæc posteriora verò concipiuntur aut de acquirenda, (e) aut conservanda (f) aut amittenda (g) hereditate. (b)

(a) Pactum autem à pactione dicitur *l. 1. §. 1. ff. de pact. & definitur à Jcto Ulpiano in d. l. 1. §. 2. duorum pluriumvè in idem placitum consensus.*

(b) Ita enim vulgò vocantur pacta, in quibus agitur aut disponitur de futuris hereditatibus seu bonis post alicujus mortem relinquendis. *Hillig. in Don. Enucl. lib. 12. cap. 21. lit. f.* Nam licet successionis vox in jure nostro multifariam accipiat, ut notat *Först. de success. lib. 1. c. 1.* & generalissimè accepta significet quamvis in locum alterius concessionem, hîc tamen intelligitur illa, quæ fit ratione rei, ita ut res, quæ alterius fuit, in ipsius successorem transferatur. *Calv. in verb. successio.*

(b) Distinctim meritò hanc materiam consideramus, cum exindè explicatu facilis & plana reddi possit, quæ aliàs propter confusam tractationem à multis obscurata fuit, ut testatur *Tessaur. decis. Pedemont. 225.*

(d) De quibus vid. infra th. 6.

(e) Hæc dabit th. 2. & 3.

(f) De



(f) De his dicetur in th. 4.

(g) Vid. th. 5.

(b) Hac enim ratione de singulorum pactorum observationibus diversis separatim commodissime agi, eorumque difficultates explicari confirmat Hartm. *Pistor. lib. 4. quest. 1. n. 4. in fin.*

## THESIS 2.

Pactum (a) de acquirenda hereditate paciscentium regulariter non valet, (b) adeo ut nec juramento confirmari possit, (c) nec si conceptum in parte tantum bonorum, (d) nec si inter Conjuges initum, (e) aut reciprocum sit, (f) nisi inter milites (g) vel statuto aut consuetudine introductum. (b)

(a) In quo de succedendo conventum fuit. Sejungi mus enim hic pactum illud sive quempiam contractum, cujus ope quis, nulla facta successionis mentione, bona sua alteri ita concedit, ut ex vi contractus obligationis, post mortem capiat ab herede. Cum enim suae quisque rei moderator sit ac arbiter, *l. in remandata 21. C. mand.* nec non permittant jura sic contrahere, ut obligationis effectus post mortem promittentis conferatur, & ab herede ejus demum incipiat, *l. unic. C. ut action. & ab hered. & contr. hered. incip.* talis contractus improbari non poterit. *Reint. de regim. Eccles. & secul. lib. 1. class. 4. c. 18. n. 18. Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 2. n. 45. & quest. 3. ubi quomodo cognoscatur, utrum pactum de succedendo initum, an vero contractus talis factus sit sufficienter explicat, & si neque ex verbis, neque ex mente contrahentium illud dijudicari possit, in dubio an promissionis obligatio ab herede promittentis incipiat, & tunc esse alium contractum, an vero obventionem bonorum simpliciter spectet, & esse pactum successorium multis docet Auctoritatibus, vid. Balthas. Klam. in prompt. jur. tit. 29. §. 8. & in simili Berlich. part. 2. concl. 51. num. 25.*

B 3

(b) l.

(b) *l. stipulatio 61. ff. de V. O. l. ex eo 4. C. de inutil. stipul. l. fin. ff. de suis & legit. hered. l. 4. C. de pact. Don. lib. 12. comment. c. 21. Arum. Exercit. Justinian. ii. th. 14. Borcb. de pact. c. 5. num. 67. Harpr. ad pr. n. 9. & seqq. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. Petr. Heig. part. 1. quest. 23. num. 1. Sed quamnam hîc addamus rationem? vulgò tres afferuntur, quæ tamen ad omnia pacta applicari non poterunt. Non enim quia hîc inducatur votum captandæ mortis hoc pactum prohibetur, illam enim turpitudinem & acerbissimam spem, ut loquitur Imper. Justinianus in *l. fin. C. de pactis* tollit consensus, qui hîc semper intervenit. Hartm. Pistor. d. lib. 4. quest. 1. num. 29. Nec tantum, quod homini liberam testandi facultatem adimat, aliàs enim in vim ultimæ voluntatis ista conventio valere posset, adeoque mutari ac revocari, ut ex *Wesenb. Consil. 71. num. 7. notat. Hillig. in Don. lib. 12. c. 21. lit. g.* Sed in primis quia sunt à jure certi modi succedendi prodi, vel scilicet ratione sanguinis ab intestato, vel ex solenni ultima voluntate, *Decian. volum. 2. respons. 48. num. 23.* propterea novos nec LL. Auctoribus receptos excogitare non licet, nisi velimus jus immutare publicum, quod etiam attentare à privatis contra bonos mores erit. *l. ex eo 4. C. de inutil. stipul. Först. de success. lib. 4. c. 24. n. 6.* Facit quod aliàs LL. testamentarias de solenni ritu & observatione propter maximas rationes industria singulari proditas eludere, injuria legitimos heredes afficere, & inhiantibus alienis opibus fraudes innumerales committere promptum esset. *Hillig. d. lib. 12. c. 21. lit. g. Harpr. ad pr. num. 12. & seqq. Inst. de heredit. quæ ab intest. d. fer.* An verò quis ad agendum hîc admittatur ad interesse, puta, si spe promissionis illius ad faciendum aliquid inductus sit, dubitari posset, & si quam actionem pacto vel transactione remisit, nihil consequitur, cum stante nullitate conventionis nec poena aut interesse peti possit, *l. 34. C. de transact. utq; per verb. omnia deducit ex l. 4. C. de inutil. stipulat. Decian. vol. 2. respons. 48. n. 40.* Sin verò simpliciter acquiescendo actionem distulerit, illam de novo repetere & instituere omninò non prohibetur, ex pacto verò nullam actionem habere potest. *Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 2. n. 25.**

(c) Non

(c) Non tantum quia contra LL. initum civiles l. 5. C. de legib. Sed etiam, cum successio ex jure publico descendat vel per legem, vel per ultimam voluntatem, ut jam diximus, juramentum vires suas eo extendere non potest, ut suppleat juris publici formalem solennitatem, *Borch. de pact. c. 5. n. 67.* Unde patet non solum eum, cui facta promissio fuit, non agere ex tali pacto posse, cum nulla obligatio inde produci potuerit, sed heredes etiam promittentis ad implendam promissionem non teneri. *Sichard. ad l. 3. n. 3. C. de Collat. Först. de succession. lib. 4. c. 24. n. 7.* Quid autem in foro conscientiae circa personam promittentis hic dicendum? Et illi quidem consulendum, inquit *Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 2. num. 29.* ut pactum observet potius, quam incertis fidens rationibus, contraveniendo anceps perjurij subeat periculum; Praesertim cum aeternae salutis dispendium non sit exinde metuendum. *Harpr. ad princ. num. 35. Inst. de heredit. quae ab intest. defer. Treutl. vol. 1. disp. 6. tb. 8. lit. a.*

(d) Ratio enim lit. b. adducta aequè obtinebit in parte ac in toto l. si fratres 53. §. idem respondit. (in editione Gothofredi est l. 52 §. 9.) ff. pro soc. l. pactum quod dotali 15. C. de pact. si nimirum actum est de successione per pactum attributa, *Decian. volum. 2. respons. 48. n. 22.* aliud enim in contractu statuendum esse lit. a. dictum est.

(e) Quod perspicue probat l. hereditas 5. C. de pact. convent. & videri potest ex l. licet 19. C. de pact. Nec enim unquam in jure civili talis singularis modus de bonis disponendi Conjugibus conceditur, *Peck. de testam. Conjug. lib. 1. c. 8. n. 1.* nec favor matrimonij tale quid meretur, qui ultra terminos suos non est extendendus, imò favorabilior erit causa liberi arbitrij & testandi facultatis, ut loquitur *Berlich. part. 2. concl. 51. n. 2.* Sed quanam ratione haec pacta, ut plurimum reciproca, passim in Germania, ut testantur *Mynsing. cent. 2. observ. 33. in fin. Harpr. ad princ. n. 43. Inst. de heredit. quae ab intest. defer. valere dicuntur?* *Sichard. ad l. 3. num. 6. C. de collat. dicit, se neminem vidisse qui ad hoc responderet: Ipse autem ejusmo-*  
di

di pacta quandam speciem habere voluntatis ultimæ, cuius vi illic deferatur hereditas, nequaquam ergò ex solo pacto illud fieri posse, statuit. Melius forsan *Petr. Heig. part. 1. quest. 23. n. 35.* videtur hoc referre ad statuta & consuetudines locorum, quibus sint hæc pacta introducta, & quapropter in reliquis iudicijs secundum juris communis doctrinam judicandum esse, notat *Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 2. n. 16.* Et *Græv. lib. 2. præct. conclus. 126. n. 20.* adducit præjudicium Camerale, ubi conclusum fuit in causa *Buschlern* vel *Spornlanden* contra *Phillipsem Buschlern* pacta dotalia, ut unus habeat alterius hereditatem, non valere *vid. Hartm. Hartman. lib. 2. tit. 22. observ. 3. num. 2.* Aliud obtinet de Jure Sax. ubi pacta de mutua successione Conjugum si coram quinque testibus contracta sint, vel in præsentia utriusque partis iudici insinuata ad acta referantur publica, in vim ultimæ voluntatis valent, ut habet *Constitutio Elector. D. Augusti part. 2. cap. 43. Wesenb. in parat. ff. de pact. dot. num. 4. Reinb. part. 1. differ. 44.* An autem & quatenus ejusmodi dotalis conventio ab altera parte revocari possit, tradit per distinctionem *Berl. in part. 2. concl. 51. n. 25.*

(f) Satis enim apertum habemus textum in *l. licet 19. C. de pact.* qui ut *Græv. lib. 2. præct. conclus. 126. n. 2.* loquitur, cavillari non potest. Nam ibi cum militibus ex peculiari privilegio concessum sit inire pacta de successione futura mutua, in personis non privilegiatis aliud statuendum erit. Imò nec vim donationis mortis causâ illa inter privatos habere ibidem expressè deciditur. *Peck. lib. 1. c. 8. n. 2. de Test. Conjug. Græv. d. l. n. 1.* Huc non incommode referri potest pactum de *Unione prolium*, von der *Einfundschaft* quod fit inter Parentes eorumq; ex diverso matrimonio utrinque susceptos & suscipiendos liberos, præsupposito filiationis jure, de mutua invicem successione, ritè rectèque initum *Trentl. Vol. 1. diss. 2. thes. 11.* Quod procedit, si 1. præsentibus sint consanguinei tutores vel Curatores. 2. interponatur causæ cognitio, an utrisque liberis salubris futura sit unio. 3. accedat Ordinarii Magistratus auctoritas & ad acta publica insinuatio: Et has solennitates hic debere concurrere testis est *Gail. lib. 2. observ.*

*observ. 125. n. 8.* Ita autem pacisci esse licitum inde patet, quod hic non tam principaliter de successione agatur, quam de cooptatione filiorum, cum mutua quaedam conjunctio fraterni nominis inter liberos utriusque matrimonij contrahatur, ut fraterna dilectio eò melius coalescere possit ex successione aequalitate. *Hunn. in resolut. Treutl. Vol. 1. disp. 2. sb. II. lit. 2.* Imò hæc parificatio prolium ex recepta totius Germaniæ consuetudine notissima est & receptissima facta, ut passim de ea extent statuta specialia, per quæ omninò, etsi aliàs jure non probari videatur, introduci potuit. *Wehner. in observ. pract. libr. sing. lit. E. verb. Eintindschafft.* An autem hoc pactum Parentibus facultatem testandi adimat, vid. *Græv. concl. 125. consid. 1. lib. 2. pract. conclus.* ubi negativam veriore putat, quam tamen ita declarat, ne testamenti dispositio vergat in alterutrius matrimonij liberorū magnum detrimentum, vel unionis ritè peractæ teneatur revocatio, nisi ob insignem ingratitudinem.

(g) Quod Imp. Diocletianus & Maximianus introduxerunt *per l. licet 19. C. de pact. voluntas* enim militum quoquo modo declarata pro justo testamento habetur *l. Divus 24. ff. de testam. milit.* & idcirco hoc pactum non quidem in vim pacti valet, sed tanquam ultima voluntas revocabilis. *Först. lib. 4. c. 24. n. 8.* Et hoc intelligendum non tantum de iis, qui jam ad discrimen prælii pergunt, *ut verba sonant d. l. 19.* sed sufficit si in castris modò vel expeditione versentur *l. milites 15. C. de testam. milit. l. pen. C. eod. Hillig. in Don. lib. 6. c. 28. lit. r.*

(b) Diximus enim prohibitionis rationem ex jure civili ut plurimum descendere. quod contrariis civium moribus tolli perimiq; posse certum est *per l. omnes populi 9. ff. de Justitia & jur.* & cum testamenti solennitates consuetudine immutentur *c. cum esses 10. X. de testam.* quare non idem in adjicienda nova successione specie dicemus? *Först. de success. lib. 4. c. 24. n. 23. Coras. in cent. Sctor. Tolosan. c. 71.* ubi ejusmodi pactiones non malè Gallorum mores recepisse ostendit, easdemq; valere apud Hispanos peculiari lege testatur *Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 2. n. 44. & Petr. Heig. part. 1. quest. 23. n. 34.* ita invaluisse talia statuta

B

&

& consuetudines, ut propemodum frustranea videatur omnis de eo dubitatio. *Adde Anton. Tessaer. decis. 225. n. 12. Mynsing. cent. 2. observ. 33. Borcb. de pact. c. 5. n. 71.*

### THESIS 3.

Et ita pacta hereditaria, (a) quibus Viri illustres (b) inter sese conveniunt, (c) ut alterius stirpe extincta, ad alterum bona perveniant, (d) jure subsistunt. (e)

(a) Hoc modo paciscentes fratres ac heredes conventionales, Erbverbrüder: Erbveremig: Erbverwande vocantur. Ipsam conventionem fraternitatem, gentilitia & familiaria indignant pacta, Erbverbündniß / Erbteimigung / Erbverbrüderung. *Johan. Jacob. Speid. in Notab. Jurid. lit. E. verb. Erbverbrüderung.* Differentia tamen bene est attendenda inter confederationes Erbteimigung, quæ non nisi ad salutem & pacem publicam tuendam, citrà ullam de ditionibus dispositionem, tendunt; & Confraternitates Erbverbrüderung, de quibus hinc dicendum erit, quæ de ditionibus adeoque Imperii feudis regalibus certam continent provisionem. *Arum. de Comit. 6.1. n. 26.*

(b) Qui habent Jurisd. ut Principes, Comites, Barones, Nobiles &c. Imperii *Gail. l. 2. observ. 127. n. 1.* de privatis enim jam dictum, illorum pacta de successione, etiam reciproca nullius esse momenti, quod simul de iis obtinet, qui se juratos fratres Geschworne Brüder nominant, *Wehn. pract. observ. lit. E. verb. Erbteimigung & lit. G. verb. Geschworne Brüder. Grav. lib. 2. conclus. 126. consid. 2. n. 1. Anton. Tessaer. decis. 113. per l. nec. apud 7. C. de hered. instit. ubi circa finem Senatuum Pedemontanum in causa de Ruatis Anno 1568 7. Novemb. talem fratrem juratum à successione fratris per sententiam exclusisse, affirmat.*

(c) Ad quod approbatio & Auctoritas Imperatoris est necessaria, cum enim hinc sæpius agatur de alienatione feudorum regaliū, interest maximè Imperatoris scire, quales sit habiturus ipse & Imperium in Principatibus successores. *Wurms. Acad.*

*Exerit.*

*Exercit. de jur. publ. 2. tb. 22. Reinking. de regim. secul. & Eccles.*  
*lib. 1. class. 4. c. 18. n. 53.* Unde in formula confraternitatis addi  
solet: Vnd wollen wir Beyde Partheyen / bey jetziger Röm.  
Kays. Mayest. vnserer aller gnädigsten Herren / getrewlich ansuchen  
vnd bearbeiten / Das diese vnserer Brüderschafft / Auff- vnd Be-  
hergung / wie vorgeschrieben stehet / bestetiget / bewilliget vnd  
gevolwortet werde / mit wissentlicher auffhebung aller Rechte / so  
darwieder seyn oder angezogē / auch wie die im Rechten namhaftig  
oder deutlich genennet möchten werden. *Arum. discurs. 6. ad Aur.*  
*Bull. Carol. IV. tb. 6. & de Comit. c. 1. n. 26.*

(d) Et hic quidem hujus confraternitatis effectus erit, qui  
nec per alienationem bonorum, quia jam altera pars in alterius  
bonis jus obtinet quæsitum, *Speid. in notab. lit. E. verb. Erbver-*  
*brüderung.* nec per testamentum infirmari potest, multò minùs  
in totum tolli, ut eleganter deducit *Reinking. d. lib. 1. class. 4. c.*  
*18. n. 19. & seqq. Wurms. d. Exercit. 2. tb. 21.*

(e) De Jure quidem civili hoc non dixerim, aliud enim  
obtinere *tb. precedenti* vidimus, sed quia consuetudine homi-  
num memoriam excedente confirmata sunt *Gail. lib. 2. Observ.*  
*127. n. 1. & Caesaris consensu* muniuntur *Arum. discurs. 6. ad Aur.*  
*Bull. tbes. 6.* nec non faciunt ad pacem & tranquillitatem Impe-  
rij subditorumq; salutem prospiciunt, & Illustrium Familiarum  
conservationem multum juvant. *Bocer. de success. Feud. c. 2. quest.*  
2. Unde Imper. Carolus IV. in confirmatione confraternitatis  
Saxonicae & Hassiacae familiae harum meminit rationum: Vnd  
sonderlich d; dasselbe H Röm. Reich mit besserung vnd einmütig-  
keit seiner Fürsten seeliglich gemehret vnd gestercket werde. *Rein-*  
*king. d. lib. 1. class. 4. c. 18. n. 6. Et Fichard. vol. 1. consil. 45. n. 2.*  
consuluit Adolpho Hermanno R. in A. ut talem fraternitatem  
iniret, den hiedurch nicht allein aller zwietracht vnd irungen /  
auch beschwerliche Rechtsfertigungen / weiterungen / grämen / vn-  
willen vnd Unlusten verhütet vnd vorkommen / sondern auch die  
Erbgüter bey dem obgedachtem löblichem Geschlecht vnd Stam-  
me bleiben vnd beständiglich würden erhalten werden. *Exempla*  
*notabilia hujus confraternitatis per Erbverbrüderung videri*  
*possunt in Webn observ. pract. lit. E. verb. Erbverbrüderung &*  
*alia.*

alile. Quodque tale pactum inter Saxon. Duces Joannem Fridericum II. Joan. Wilhelmum & Joan. Frideric. III. & Comites Hennebergenses Anno 1554. Cal. Sept. Kalæ initum, extincta familia Hennebergica Anno 1583, in effectum productum fuerit testatur *Andr. Knichen. de Saxon. non prov. jur. cap. 2. n. 73.* Alia est conventio eorum, qui vulgò vocantur Banerben, nam hi se conjunxerunt olim ante pacem promulgatam publicam, da das Fausrecht vnd Schnarchereynoch im schwang gienge & peculiares quasdam confraternitates certis pactis inter se ac suos posteros, Vermög ihrer Vertråg vnd Bürgerden, instituerunt, in eum finem, ut se suasq; facultates contra vim & incursiones hostiles conjunctis viribus defenderent. *Speid. in d. Notab. lit. G. verb. Banerben.* De quibus vid. *Conrad. Rittersb. in partit. feudal. c. 17.* ubi per 5. capita hanc materiam à nemine ex professo literis mandatam, ut ipse loquitur, abundè explicat. Hodiè verò non faciliè ejusmodi Confraternitates iniri solent de novo, cum causa impulsiva per publicæ pacis introductionem sit sublata. *VVurms. de jure publ. Exerc. 2. tb. 9.*

#### THESIS 4.

Pactum (a) porrò, per quod alicui hereditas conservatur, qui aliàs per delictum (b) vel per juris rigorem (c) illa privari posset, validum est, & firmum (d)

(a) Initum inter Parentes & liberos, itemque agnatos & cognatos, ad quos alioquin hereditas pertineret. *Heig. part. 1. quest. 23. n. 15.* Et erit hoc alterum membrum subdistinctionis nostræ *supra tb. 1. traditæ.*

(b) Et illud quidem non aliter procedit, quam si volente eo cui succedendum est, privatio contingat; secus enim erit, quando quis simpliciter successionis incapax fuerit redditus *l. qui deportantur i. C. de heredib. instir.* Ira Pater illatam sibi injuriam, propter quam aliàs exhereditatio haberet locum, filio remittere pacto potest *Treutl. vol. 1. disp. 13. tb. 19. lit. c.* imò quamvis exhereditatio jam facta esset, si tamen sequatur pactum expressum



pressum injuriam seu ingratitude[m] remittens, illa pro non scripta habebitur. *Sichard. ad auth. non licet n. 18. C. de liber. prater. vel exhered.* Non verò locum habet hoc in delictis futuris, per quod pactum induceretur quis ad delinquendum, quod boni mores non patiuntur. *l. si convenerit 4. ff. de pact. dot. l. si unus. 27. § illud 3. ff. de pact. Bart. distinct. 699.*

(c) Ut si statutum inveniatur masculis existentibus excludens foeminas, quale dat exemplum *Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 4. n. 6.* Incidit hic illa quaestio an tunc foemina semel exclusa, postea defunctis masculis iterum admittatur? De negativæ quidem duritie ac rigore multi conqueruntur, affirmativam propterea tutiorem ac veriore[m] esse putaverunt, tum propter textus *inc. un. §. filia 2. ibi: filijs non extantibus. de success. feud. 1. Feud. 8. §. c. un. ibi: non patet locus foemina in feudi successione, donec masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus. de eo, qui sibi vel hered. 2. Feud. 17.* Tum quod in exorbitantibus à jure communi, hæc sit in feudis facienda interpretatio, ut quam proximè ad æquitatem & jus commune accedat *arg. c. un. vers. strenuus de feud. cogn. 2. Feud. 1.* quod fieri potest, si hæc affirmativam admittamus. *Arum. disp. feud. 6. ib. 13.* Secundum quam etiam aliquoties à Collegio Jctorum Marpurgensium responsum fuisse meminit *Vult. in tract. feud. lib. 1. c. 9. n. 52.* eandemque Amplissimum hoc Witebergensium pronunciando confirmasse testis est *Petr. Heig. part. 1. quest. 26. n. 9.* Et hanc sententiam in praxi omnino sequimur, quamvis negativa textibus Juris Feudalis magis convenire videatur. *per ea que tradit Henric. Bocer. in tract. qq. controvers. de jure succed. in feud. cap. 3. q. 4. §. de Invest. Feud. cap. 5. n. 62. §. seqq.*

(d) Non enim hoc casu datur successio, sed tantum removetur impedimentum, & redigitur causa ad eum statum, quo fuit ante delictum vel obstaculum illud, nempe ut succedatur ab intestato. *Sichard. ad d. auth. n. 19. C. de liber. prater. vel exher.* Probari hoc potest per exemplum emancipationis, quæ fit contracta fiducia, de qua *Coras. lib. 6. Miscel. c. 9. vid. §. fin. Inst. de legit. agnat. success. l. si ab eo 11. C. de legit. hered.* Et hanc

quidem opinionem altè radices egisse, magnisque Auctori-  
bus probari comprobat *Heig. part. 5. quest. 23. n. 15.* eandemque  
Anno 1569. in hâc alma ad Albim responso JCorum confir-  
matam fuisse meminit *ibid. num. 18.* in tali casu, quo Pater in pactis  
dotalibus filia promiserat, nihil se adempturum eorum, quæ ad  
illam alioquin ex successione poterant pervenire.

### THESIS 5.

De amittenda hereditate pactum non consistit,  
(a) jure verò canon. (b) & generali Germaniæ consue-  
tudine (c) juratæ filiarum, (d) accepta dote, (e) renun-  
ciationes (f) corroborantur. (g)

(a) *l. fin. ff. de suis & legit. hered. l. pactum. 3. C. de collat. c. 1.  
quamvis 2. de pact. in 6.* Adducit *Morl. in empor. lur. part. 1. tit. 5.  
quest. 5. n. 3.* cum alijs hanc rationem, ne facile jus futurum mo-  
dico præfenti remittatur; sed omnium certissima, teste, *Coral. in  
cent. SCor. Tolosan. c. 2.* videtur, quam Papinianus scriptam  
reliquit *in d. l. fin. ff. de suis & legit. hered. privatorum cautiones  
LL. auctoritate non censi.* Ut enim non acquiri potest he-  
reditas ex jure publico proveniens, per pactum, ita nec repu-  
diari. Facit præterea quod nondum sit delata, imò viventis  
nulla esse possit, *l. 1. § Simpubere 21. in fin. ff. de collat.* Ejus au-  
tem est nolle, qui potest velle *l. ejus est. 3. ff. de R. J. Berl. part. 2.  
concl. 43. n. 2. Schneiderv. ad §. item si quis. 11. n. 7. Inst. de action.  
Quod ex l. 1. § si parens ff. si à parent. quis manum. l. si non mortis  
25. ff. de inoff. testam.* afferunt, hûc nihil facit, ibi enim non ob  
pactionem à successione paterna excluditur filius, sed quia com-  
muniter citra ullam pactionem legitima relicta inofficiosi que-  
relam enervat. *l. Papinianus §. si quis ff. de inoffic. testam. Arum.  
Justin. Exercit. 11. lb. 14.* Statuto tamen vel consuetudine eti-  
am hujusmodi pactis robur addi posse ex allegata prohibitionis  
ratione indubitatum est, & benè notat. *Treurl. vol. 1. disp. 6. lb. 8.  
lit. f. De Jure Sax. quamvis juramentum, ad renunciationem  
necessarium non esse videatur, dummodo ea coram Judice &  
testibus sit facta, per text. in Landr. lib. 1. artic. 13. vers. Hetten sie  
auch*

Etich ihre Erbtheilung. ubi gloss. latin. ad text. germ. lit. F. Hodie  
tamen in Electoratu Saxonie aliud in praxi observari juxta  
Nov. Elect. D. Augusti part. 2. c. 35. testatur Berlich. part. 2. concl.  
43. n. 5. De jure feudali Pater ea ratione cum foemina, forte  
ignobili contrahere matrimonium potest, ne filij ex ea nati suc-  
cedant in feudis, sed certa portione sint contenti; quod matri-  
monium alias l. Salica contractum dicunt, & approbatur per  
expressos textus c. un. de fil. Nat. ex matrim. 2. Feud. 29. c. un. §.  
filij. si de feud. defunct. 2. Feud. 26. qui posterior recte negative  
legitur, ut praeter contextum probat d. c. un. 2. Feud. 29. Arum.  
disp. feud. 6. lb. 26. Et hanc consuetudinem defendit Sonsb. part.  
9. n. 50. & seqq. in tract. feud.

(b) Per textum apertum in c. quamvis 2. de pact. in 6. & quod  
hoc cap. servetur in toto mundo, in foro tam civili, quam spiri-  
tuali, confirmat Sibarad ad l. 3. n. 1. in fin. C. de collat.

(c) Grav. pract. concl. lib. 2. concl. 147. Gail. lib. 2. observ. 39.  
n. 27. & observ. 147. num. 1. Ratio autem diversitatis, cur affirma-  
tiva pacta juramento confirmari non possint, ut haec negativa  
non obscura erit, cum posteriora non ita adimant testamenti  
factionem, nec eam ob causam improbentur, ut priora. Schnei-  
devv. ad §. item si quis it. n. 7. in fin. Inst. de action. facit quod d. cap.  
quamvis 2. correctionem inducens non sit extendendum, nam  
in illo constitutum, ut suam legitimam jure debitam vel dotem  
consequatur renuncians, paciscendo vero de acquirenda here-  
ditate saepe jus alterius laeditur. Gerd. ad l. 3. de P. S. n. 38. Borck.  
de pact. c. 5. n. 68.

(d) Quamvis autem d. c. 2. de pact. in 6. tantum de filia lo-  
quatur, illud ipsum tamen etiam in filio paternae hereditati re-  
nunciante locum obtinere, si modo pro legitima certam pecu-  
nia summam acceperit, communiter receptum est. Beust. ad l.  
1. de jurei. n. 125. cum & hic adducta ibidem ratio aequè militer,  
& diversitas sexus diversum jus non facit. Balib. Klammer in  
prompt. jur. tit. 29. §. 10. An vero talis renunciatio Patri à filia  
facta praedicer liberis ipsius ante Patrem forte morientis? Et  
negativam quidem putamus veriore esse ac communiter ap-  
proba-

probatam per l. si ex patronis 10. §. ult. ff. de bon. libert. l. si quis filio. 6. in pr. ff. de injust. irrit. rupt. fact. testam. Censetur enim facta renunciatio sub hac conditione, si hereditas ad ipsam viventem delata fuerit, atqui filia sic ante Parentem moriente, conditio non adimpletur, nepotes igitur à successione avi ipsis jure debita non repelli debent. Harpr. ad pr. n. 134. & seqq. Instit. de heredit. que ab intest. defer. Bronch. cent. 1. miscell. controuv. assert. 8. Marant. disput. 10. n. 8. & seqq. Hartman. Pistor. lib. 4. quest. 7. per tot.

(e) Quæ debet esse congrua, conveniens & justa, Grav. d. lib. 2. concl. 147. confid. 1. Quandocunq; enim in jure loquimur de dote, intelligimus eam, quæ sit legitima. Ejus autem ratio inxur à numero liberorū, à dignitate filia, vel etiā generi, item pro quātitate patrimonij. Sicbard. ad L. pactum dotali. 3. n. 9. C. de collat. & ad l. fin. n. 23. C. de promiss. dot. Aucto verò patrimonio an quoque filia poterit agere ad supplementum dotis? Negativæ rationem habet Moller. ad constit. Elector. part. 2. c. 35. Addunt tamen Conceptores Consultat. Saxon. Tom. 2. part. 1. quest. 4. Jedoch were es nicht unbilllich/wenn ein Vater/welcher nach dem/da er seine Tochter außgeben/welche Eidlich verzicht gethan/su größserm Reichthum käme/in seinem Testament derselben ein ersetzung thete. Adde Boer. decis. 62. per tot. Si autem filia renuncians enormiter læsa fuerit? Quidam dicunt absolutionem dandam à juramento, Conceptores tamen d. Consult. Sax. dict. quest. 4. aliter respondere voluerunt, quod contraria opinio tanquam Decalogo proximior sit arripienda, ubi ad hoc adducunt exemplum Gibeonitarum ex Jos. c. 9. major enim meritò in jure nostro juramenti habetur ratio, quam læsionis, cujus quoque æstimationem non facile admittit dabiis eventus, qui renunciationis tempore subesse solet. Hunn. in resolut. ad Trentl. Vol. 1. disput. 6. tb. 8. lit. g. quest. 72. vid. Novel. Elector. part. 2. c. 35. Moller. lib. 3. semestr. 39.

(f) Si non vi nec dolo sint impetratæ c. quamvis 2. de pact. in 6. Sicbard. ad L. 3. n. 10. & seqq. C. de collat. An autem hinc absolutione sit opus? quæritur, & esse juri sanè canon. convenientius videtur c. auctoritatem 2. ca. 15. quest. 6. c. si. verò 8. c. si verum

verum 15. X. de Jurei. quæ etiam opinio recepta dicitur ac tuta, nimirum contractus sit per se licitus, ac ipso jure valeat. Hillig. in Don. lib. 21. c. 13. lit. y. & seqq. ubi multos ad hoc citatos habet. Cui & in his terris erit locus per Nov. Elect. part. 2. c. 36. ubi hujus relaxationis ad effectum agendi modus & forma Electori facienda committitur, ita: Das in den Faculteten vnd Schöp-pensfülen erstlich erkandt werden soll / in was fällen vnd wie weit die relaxation des Eydes statt habe / vnd als dan die Verordnung der relaxation, auch wasser massen solche vorzunehmen / vns (Electori) heimgestellt vnd zugewiesen / wenn auch dieselbe erfolgt / für dem Richter erster instantz in der Hauptsache procediret vnd verfahren werden sol. In Imperij locis autem Imperator talia juramenta ad eundem effectum remittere potest ex ordin. Camer. part. 2. tit. Von relaxation der Eyde 24. Quare Camera Jurisdictio quoad hos actus quoque fundata erit. Reinsing. lib. 3. class. 1. c. 10. num. 53. Et tunc si quis renunciationem injustè celebratam docuerit, nova absolutio non est necessaria, sed primæ istius vi ac virtute statim rescinditur quod actum est. Mynsing. cent. 2. observ. 57. Moller. ad d. constit. D. Augusti in fin.

(g) Filia tamen in gratiam fratrum renuncians, ijs antea decedentibus, nihilominus patri succedere potest, cessante enim causa, ipsa quoque renunciatio cessabit, c. cum cessante 59. X. de appellat. Gail. lib. 2. observ. 148. n. 18. Ita quoque eadem Parenti ex testamento succedere non prohibetur, cum de remissione juramenti ex patris voluntate constet, ad quod faciunt textus, qui hoc clarissimè videntur probare inc. cum inter 2. X. de renunciat. l. si patronus 33. ff. de bon. libert. Mynsing. cent. 2. observ. 7. Et quoniam renunciatio nunquam comprehendit jus, quod ex nova causa supervenit l. si patronus 33. ff. de bon. libert. ejusmodi quoque filia renuncians hereditati paternæ, nihilominus fratri, qui adita hereditate patris moritur, heres erit. Arnold. de Reyg. in process. judic. disp. 11. tb. 1. tum enim non amplius agitur de hereditate patris Balt. Klammer in prompt. jur. tit. 29. § 12. Et ita Mense Augusto Anno 1612, à Scabinis Lipsensibus,

C

psensibus,

psensibus, itemq; à Juridica Facultate Witebergensi responsura  
fuisse per Auctoritates *Gail. lib. 2. observ. 148. n. 12. refert Berl.  
part. 2. concl. 43. n. 8.*

## THESIS 6.

Sin demum agatur (a) de hereditate tertij incerti  
(b) vel certi consentientis (c) valet pactum; sin igno-  
rantis aut inviti, (d) prorsus erit invalidum.

(a) Hic autem nihil interest, sivè acquirendam, sivè con-  
servandam, sivè amittendam hereditatem spectemus, cum in  
omnibus & singulis ratio *lit. d. infra* adducenda sit occupa-  
ta.

(b) Ut si qua justa mihi obvenerit hereditas, habebis illam,  
*quod docet l. ea verò 3. §. de illo 2. ff. pro soc* facit quod propter  
incertitudinem de nullius morte spes præmatura repugnans bo-  
nis moribus concipiatur, & ita nulla turpitudine hinc versetur, cum  
omnia fortunæ dubio committantur eventui, quod etiam jure  
can. approbatum videmus *c. ne captanda 3. de concess. præb. in 6.  
Hartm. Pistor. lib. 4. quest. 1. n. 22.*

(c) Et hic quidem casus decisus est *in l. fin. C. de pact.* si mo-  
do in ea voluntate usque ad extremum vitæ spiritum perseve-  
ret. *Arum. II. Exercit. Justin. th. 14.* integrum enim ei est quando-  
cunque libuerit pænitere, & tunc etiam pacti vires corrumpunt, ut  
illud paciscentes non amplius stringat. *Treutl. vol. 1. disp. 6. th.  
8. lit. d.*

(d) *l. 29. §. fin. ff. de donat. l. fin. C. de pact. l. ex eo 4. C. de  
inutil. stipul.* ita etiam, ut illi, qui sic paciscitur, tanquam indigno  
auferatur hereditas aliàs ad illum perventura. *l. auferatur 2. §.  
3. ff. de his, quæ indig. aufer.* Et valet hinc ratio, quia pacta talia,  
ut Imper. Justinianus *ind. l. fin. C. de pact.* loquitur, plena sunt  
tristissimi ac periculosi eventus, nec non continent votum  
captandæ mortis, ut vocat *l. II. C. de transact.* Inprimis au-  
tem per se turpe est ac improbum de bonis adhuc viventis, præ-  
matura concepta cogitatione, quippiam disponere *l. moribus.*

2. §

2. § inter dum 2. ff. de vulg. & pupil. substit. l. donari 29. § donationem  
2 ff. de donat. Unde nec liberi inter se, sive cum alijs de bonis patris  
adhuc viventis, nec parentes de bonis liberorum rectè paciscun-  
tur l. 1. § si impubere 21. ff. de collat. vid. Hartm. Pistor. d. quest. 1. n. 10.  
Et sic Senatum Pedemont. censuisse in facti contingentia, ubi  
de dividenda matris viventis hereditate inter fratres agebatur,  
testatur Additionator ad decis. 225. Anton. Tessor. Adeo autem  
tale pactum de hereditate alicujus tertij ignorantis aut invitij  
non valet, ut nec juramento confirmari possit, est enim con-  
tra bonos mores naturæ l. donari 29. §. donationem 2. ff. de do-  
nat. & ita non obligatorium etiam jure can. c. non est obligato-  
rium 58. de R. 7. in 6. Gail. lib. 2. obs. 125. num. 2. Sed quid hinc di-  
cemus de investitura, quæ concipitur in casum mortis vasalli  
possessoris? Certum est de jure feud. illam non esse improba-  
tam c. un. qui success. teneant. 1. Feud. 9. c. un. § fin. 1. Feud. 27. c.  
1. § moribus. 2. Feud. 26. quod etiam in jure Sax. obtinet.  
Lehen c. 5. & c. 57. ubi hæc investiendi ratio vocatur ein Bedingt  
vulgò ein Expectans oder anwartung auff eines andern Lehen/  
Gnadentehn Speid. in Notab. Jurid. lit. E. verb. Expectans; quod  
Gail. lib. 2. observ. 155. ita refert: So einer der letzte seines Na-  
mens vnd Stammes ist/ kan vnd mag dessen Lehen von dem Le-  
henherren außgeben / vnd einem andern die anwartung ver-  
kündet werden. Sed eurnam hinc à jure communi discessum  
fuit? Moribus & consuetudine id factum esse in d. c. 1. § mori-  
bus. 2. Feud. 26. dicitur, hanc autem juris esse partem nemo du-  
bitat, & ita hæc conventio de jure communi illicita, licita  
fieri potuit per consuetudinem in hoc recepto casu. Vult. de  
feud. lib. 1. c. 7. n. 48. facit, quod feudum nihil aliud sit, quàm  
usufructus c. un. sub. fin. in quib. caus. feud. amitt. 2. Feud. 23.  
de quo, si alicui ad vitam sit concessus, pacisci ac disponi po-  
test, ut post mortem ejus perveniat ad alium. Berl. part. 2.  
concl. 54. num. 7. & seqq. ubi juribus & auctoritatibus hoc  
probat, & quasdam quæstiones hinc spectantes explicat. Adde  
Vult. d. lib. 1. c. 7. num. 48. & seqq. Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 25.  
num.

num. 2. & seqq. Aliud statuendum de Concessionibus sive expectativis super loco Professoris in aliqua Academia, vel Parochi alicujus in Ecclesia nondum vacante impetratis, quas nullo jure niti, imò, ab ipsa pietate & humanitate alienas esse, nervosè & eleganter ostendit *Matthias Stephani* in  
*tract: de jurisd. lib. 3. p. 1.*  
*cap. 18. per tot.*


Deo, à quo omnia, sit gloria,






AB 52  $\frac{16}{R, 29}$

X 231 0673





O JURIDICA

XII  
100

# S SUC- ORIIIS.

Christo  
&  
*i Electorali ad Albim  
Ordine*

S I D E  
R O  
*Sumo & Clarissimo*

**CARPZOVIO,**  
nsiliario, Antecessore A-  
ltaris Juridicæ p. t. Decano spe-  
ncialis, Consistorij Ecclesiastici  
idicij Assessore, Præceptore,  
uo omni honoris, & ob-  
em submissè prose-  
ndo.

*quisitioni subijcit*  
**D U S Bueffer**  
satus.  
*promeridianis, Die 10. Jan.*

**ERGÆ,**  
SII ROTH, Acad. Typogr.  
DC. XXXV.

